

Dum, quam tractares, operum doctrina bonorum
Prae multis placuit, CHRISTOPHORE, una tibi
Ipse bonum moliris opus, laudemq; mereris.
De bono enim certe est differuisse bonum:
Sed prestare bonum faciat quoq; gratia Christi.
De bono enim non est differuisse satis.

Samuel Wodniansky Novo-
Pragensis. Bohemus,

Temporis es cautus nã dispensator euntis,
Care Hoffimanne, situ qui non squalescere foedo
Facundum sinis ingenium: verum exeris illud.
Præmia nulla sopor; tribuit sed plurima sudor.
Tramite perge viam recto decurrere coeptam.
Exsegete hac messis, mirum, tibi quanta futura.

Sincero amico gratulatur
Sigmundus Rosau.

Christophoro nomen tibi rite dedere parentes:
Quandoquidem Christi dogmata vera refers.
Differit ille piè, Christi qui pendet ab ore:
Dum facis hoc; ab eo præmia digna feres.
Ergo Christophori faustè sic fungere sancti
Officio; & sis omine Christophorus.

Amoris & favoris ergò f.

Matthias Ambrosius Polonus.



THESES
EXEGETICÆ
IN
PRIMUM HOSCHE
HÆCAPUT,
QUAS

D. T. O. M. A.

in

Illustri, Illustris Schön-
aichl, Gymnasio

PRÆSIDE

ERNESTO NOLDO S.S.

Theol. Professore,

ad

d. n. Martii

defendere conabitur

GODOFREDUS SONEEWEISS.

G. L.

ANNO MDCCCXX.

BETHANIÆ,

EXCUBEAT JOANNES DÖRFFERUS.

Illustribus, Generosis, Magnificis
Nobilissimis, Amplissimis.
Dominis,

Dn. Dn. MELCHIORI à RECHENBERG

Libero Baroni, in Klitschdorff / Primkenaw / Schlawa /
Wartenburg / Kottenburg & Windisch
Woraw &c. Sacrae Caesar. Majest.
Consiliario. &c.

Dn. CHRISTOPHORO-GEORGIO à BERGE,

in Herrndorff & Eladen, hereditario Freyval-
da, Buræ, & Leipæ: & Judici Regl. in
Curia Glogoviensi Maj. Adsef-
sori. &c.

Dn. JOANNI à BERGE in Herrndorff
& Eladen. &c.

Dn. TOBIÆ de Bregoschitz & Schvvanensche, cogno-
mento SCULTETO, Hirschfeldæ hereditario. &c. Sac.

Caes. & Reg. Majest. Consiliario & Commissario, Sac.
Palati Comiti, Fisciq; Regl. per Silesiam
& Lusatiam Inferiorem Pa-
trono & ICto. &c.

Dnann. Patronis & Mæcenatibus suis
maximis, colendissimis,

Gratitudinis & observantiz ergo

Theses hasce exegeticas

offert

Respondens.



426423

Argumentum Libri.



*L*iber Hoseæ Prophetæ conciones conti-
net, quas in regno Israelis, ad decem
Israelis tribus habuit: quibus primum
de multiplicibus eorum peccatis, con-
tra utramq; Legis tabulam commissis
conqueritur, eosq; eo nomine, ac in primis ob idolola-
triam, quam in colendis duobus vitulis aureis exer-
cebant, gravissimè objurgat. Deinde severissima Dei
judicia & poenas, ac præcipuè excidium regni, per
Salmanasserem, Assyria Regem, eis minatur ac præ-
nunciat. Deniq; pios respicientes, quos Deus ex cõmuni
velut incendio in filio suo unigenito, Christo Iesu, con-
servavit, consolatur promissione gratiæ Dei, ac in-
primis redemptionis aeternæ per Christum.

Nos primum caput hoc tempore examinabimus:
in quo continetur (1.) Titulus seu inscriptio totius li-
bri v. 1. (2.) Concio Hoseæ prima: v. 2. & seqq.

I. De titulo libri.

TEXTUS.

| | |
|--------------------------------|------------------------|
| v. 1. Verbum Jehovah, quod fa- | דְּבַר יְהוָה אֲשֶׁר |
| ctum est ad Hoscheam filium | הִירָה אֶלְ-הֵ |
| Beëri, temporibus Huzziaë, Jo- | הוֹשֶׁעַ בֶּן-בְּעָרִי |
| thami | בִּימֵי עוֹזִיָּהוּ |
| | יוֹתָם |

ויהם אחז יחזקיה | thami, Achazi, Jechizkijæ, Re-
 מלכיהורהובימי | gum Jehudæ : & temporibus
 ירבעם כדיואש | Jerobhami filii Joaschi Regis
 : סלך ישראל | Israëlis.

THESES.

I. Versus primus continet totius libri inscriptionem : in qua tria indicantur: Concionum in hoc libro contentarum 1. Author, 2. Minister, 3. Tempus.

Autoris mentionem facit Propbeta; ut sibi paret attentionem tanquam loquenti verbum Jehova, hac ratione, autoritatem sibi & doctrinam suam conciliando: ne falsâ persuasione ducti Israëlitæ doctrinam Hoseæ, tanquam ingenio humano excogitatam rejiciant: sed ut divinam, & à legato Dei immediate vocatopropositam, agnoscant.

II. Verbum Jehova. דבר יהוה. Prophetia Hoseæ citra omnem dubitationem recipienda atq; credenda nobis est: cum sit doctrina ei divinitus per revelationes patefacta: juxta illud S. Apostoli Petri 2. Pet. 1. 19. 20. 21. Nulla prophetia scripturæ est propriæ explicationis. Non enim voluntate hominis allata est olim prophetia: sed acti à Spiritu Sancto locuti sunt Sancti Dei homines. Et paulò antè v. 19. vocat idem Apostolus sermonem propheticum *firmisimum*: commendans eum à doctrina Evangelii. Unde apparet eos, qui veteris Testamenti libros ex Ecclesia exterminandos putant, impiè, perversè ac imperitè facere.

III. Minister hujus Prophetiæ est Hosebeba. Nomen à Jehosua & Jesus, radicis deductione significationeq; non dissentiens. Hujus familia in sacris reticetur: nisi Propbeta ipsum fuisse filium ex eo probabiliter liqueat: quòd Beerî, Patris Hoseæ, mentio

mentio sit. Juxta communem Hebraorum regulam: Quorum prophetarum parentes nominantur: ii prophetarum filii fuerunt.

IV. Proponitur nobis in Hosea insigne constantiæ exemplum: quæ Virtus in Verbi Dei ministro requiritur. Nam Hoseas per annos bene multos Israëlitæ, populares suos propter Idololatriam, aliaq; gravia peccata ipsorum graviter reprehendit, ac pœnas Dei comminatus est: interim verò pios resipiscentes, quos Deus ex communi velut incendio, in filio suo unigenito, Christo, conservavit, promissionibus Evangelicis, hoc est, gratiæ Dei, reconciliationis, pacis, ac redemptionis, salutisque aternæ per Christum passum, mortuum, ac resuscitatum partæ dulcissimis consolationibus crexit atq; consolatus est: sicut ex concionibus, hoc libro contentis liquet.

Hactenus titulum consideravimus.

2. De concione Hoseæ prima, quam ad decem tribus habuit.

TEXTUS.

תחלה דבר יהוה | ש. 2. Cùm primò allocutus
 בהושע ויאמר יהוה אל- | est Jehova Hoscheham; ;
 הושע לך קח-לך אשת | edixit Jehova Hoschehæ:
 זנונים וילדי זנונים | abi, accipe tibi scortum, &
 כי-זנרה חזנרה הארץ | natos scorti gigne, cum
 מאחרי יהוה: | omnino scortetur hæc ter-
 ra averfata Jehovam.

וילך ויקח ארם נמר
 בת דבליים ותהר
 ותלד לו בן: | v. 3. Abiens itaq; accepit
 Gomeram, filiam Dibla-
 jim, quæ concepit & pe-
 perit ei filium.

T H E S E S.

V. *Concionis prima, partes principales sunt dua: Narratio & Promissio.*

Narratio continetur 9. versibus: cujus duo membra.

*Prius, v. 2. & 3. de Conjugio Hosea cum quadam mere-
 trice.*

Posterius, v. seqq. De liberis ex meretrice procreatis:

VI. *Cum primò allocutus est: &c. Narrationis mem-
 brum primum: cujus sensus est: Ideo scortum ducere, & libe-
 ros ex eo gignere debes; ut scortationem spiritualem, id
 est, idololatriam, quam populus exercet, ipsi ob oculos
 ponas.*

VII. *Per scortationem enim intelligit hic Deus, non tam
 corporis, quam animæ spurcitiem; seu idololatriam. Nam per
 banc, non secus, ac per scortationem corpus proprium polluitur;
 conjugii vinculum discinditur: idololatra semetipsum inquinat:
 fidem, quam Deo dedit, sestrat à perfidiâ, violat. Unæ & ve-
 rus & genuinus Dei cultus, cum spiritali connubio confertur;
 de quo passim in sacris.*

VIII. *Porrò Conjugium Hosea declaratur duobus modis:
 (1.) ex causa impulsiva: videlicet, mandato Dei: v. 2. (2.) ex
 ducta uxoris nomine v. 3.*

IX. *Mandatum Dei declaratur è causa finali: ut scilicet:
 hoc modo Israclitis ob oculos ponatur ipsorum idolola-
 tria, de qua hoc loco conqueritur Dominus.*

Cum

X. *Cum omnino scortetur: כִּי-זָנָה תִּזְנֶה Cum
 scortando scortetur: Iterationem verbi incrementum scele-
 ris & frequentationem notare, ex phrasi hebraica est no-
 tum: ut Gen. 2. 17. ait Jehova: Quo die comederis de eo:
 מֵיּוֹם הַיּוֹם, moriendo morieris: i. certò moriturus
 es; subjectus eris morti & corporali & spiritali.*

XI. *Abiens itaque assumpsit. Rem gestam hîc nar-
 rari, manifestum est, tum ex his verbis, tum ex contextu
 sequenti. Præterquam quod ipsa loquendi forma id præ-
 clarè evincit: scopus quoque hujus facti postulat, ut rem
 gestam hîc narrari, intelligamus: nimirum ut factò hoc
 tam insolente efficacius afficerentur Israclitæ, ac de fœdi-
 tate idololatriæ suæ admonerentur. Augustinus Tom. 6. con-
 tra Faustum Manich. lib. 22. c. 80. & 89. eandem sequitur inter-
 pretationem. Vult primùm Augustinus Historiam fuisse & ve-
 rum factum: Deinde typum matrimonii inter Christum & Ec-
 clesiam ex gentibus peccatricibus & idololatriis. Ostendit autem
 Augustinus, quantum ad Prophetam factum; Prophetam nil mali
 fecisse, quod eam duxerit in Vxorem. Quia eam duxit fornica-
 tione relicta. Quid enim, inquit, adversum clementiæ, ve-
 ritatis, quid inimicum fidei Christianæ, si meretrix, reli-
 ctâ fornicatione, in castam conjugem commutetur? Et
 quid tam incongruum & alienum à fide Prophetæ, quàm
 si non crederet omnia peccata impudicæ dimissa esse, in
 melius commutatæ? Itaque cum meretricem Prophetam
 fecit uxorem, & ad vitam corrigendam, mulieri consul-
 tum est, & figuræ sacramentum, de qua mox loquemur,
 expressum.*

XII. *Sic Deus olim populum suum non solùm verbis
 erudire est solitus: sed etiam certis docentium factis, in
 oculos incurrentibus, & quidem nonnullis rationi huma-*

na

næ absurdis: ut animos suorum eò magis afficeret; & hâc ratione ad officium revocaret.

XIII. Obtemperandum esse simpliciter Dei mandatis, licet cum ratione nostra pugnent, hoc exemplo Hofsea monemur. Sic laudabiliter fecit Abraham, quòd ex Dei jussu, filium Isaacum suum, unicum, dilectum, occidere sibi proposuit.

TEXTUS.

וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלָיו
קְרֵא שְׁמוֹ יִזְרְעֵל
כִּי עוֹר מֵעַט וּפְקַדְתִּי
אֶת דְּמוֹ יִזְרְעֵל עַל-
בֵּית יְהוָה וְהִשְׁבַּתִּי
מִמַּלְכוֹת בֵּית יִשְׂרָאֵל:
וְהָיָה בְּיוֹם הַהוּא
וְשִׁכַרְתִּי אֶת-קֶשֶׁת
יִשְׂרָאֵל בְּעַמֵּק יִזְרְעֵל:
4. Tunc edixit Jehova ei:
Voca nomen ejus Jizrehelē;
nam adhuc paulisper, & animi
advertam cædes Jizrehelis, in
domū Jehu, faciamq; ut ces-
set regnum in domo Jisraëlis.
5. Eritq; in die illo, ut fran-
gam arcum Jisraëlis propter
vallem Jizrehelis.

THESES.

XIV. Narrationis membrum posterius: de liberis ex meretrice successu procreatis: quorum commemorantur tres. Filius, Filia, Filius.

Primi filii exprimitur nomen & ratio nominis. Nomen est Jizrebel: Dispersio Dei, à Rad: זרע (sparsit, dispersit). Ratio nominis, domus Jehu, quæ tunc regnum obtinebat, deletionis comminationem, & causam illius continet. Causa fuit, quòd Jehu, licet ex Dei mandato, cades illas perpetraverit; non tamē id recto animi

animi proposito fecerit: ut scilicet aboleret idololatriam, ab Achabo, impio Rege, introductam, & à Jerobbeamo postea confirmatam: quippe illam non abolevit; sed fovit contra Dei legem ac voluntatem.

XV. Ex eo, quòd Deus hîc minatur domui Jehu vindictam, discimus, non esse satis, mandatis DEI obedire tantum externè: sed imprimis requiritur, ut animus erga Deum sit rectus, sincerus, & gloriæ Dei studiosus, qui per observationem omnium ejus mandatorum tum externâ, tum internam cordis obedientiam, gloriam illius promoveat.

TEXTUS.

וַתְהַר עוֹר וְתֵלֶךְ
בֵּת וַיֹּאמֶר לוֹ קְרֵא
שְׁמָהּ לֹא-רַחֲמָה
כִּי לֹא אוֹסִיף עוֹר
אֶרְחַם אֶת בֵּית
יִשְׂרָאֵל כִּי נִשְׂא
אֲשֶׁר לָהֶם:
וְאֶת-בֵּית יְהוָה
אֶרְחַם וְהוֹשַׁעְתִּים
כִּי הוּא אֱלֹהֵיהֶם
וְלֹא אוֹשִׁיעִים
בְּקֶשֶׁת וּבַחֶרֶב
וּבַמַּלְחָמָה בְּסוּסִים
וּבַפָּרָשִׁים:
6. Deinde concepit iterum,
& peperit filiam, edixitque
Jehova ipsi Hofshebæ: Voca
nomen ejus Lo-ruchamam,
nam non pergam amplius mi-
sereri domus Jisraëlis: Nam non
condonabo istis ullo pacto.
7. Domus autem Jehudæ
miserebor, servaboque eos,
per Jehovam, Deum ipsorum,
& non servabo eos arcu, gla-
diôve, aut bello, equis, aut e-
quitibus.

B THESES.

nendæ victoriæ, non est collocandâ in arcu, gladio, bello, equis, aut equitibus, aliòve apparatu militari: sed in promissione ac omnipotentia Dei. Et in periculis ac necessitatibus constituti, per preces ex fide in Christum Mediatorem profectas, ad Deum confugiamus, ipsiusque opem imploremus; exemplo piorum Israëlitarum: qui preces suas fundebant in sacrificio Christi; de quo futuro, per holocausta, tanquam typos, admonebantur. Lege Psalm. 17. & 20.

XXVIII. Porrò ita confidere debemus omnipotentia Dei, ut tamen media si ad manum sint non contemnamus: sed iis reverenter, & in timore Domini, tanquam providentiæ Divinæ instrumentis utamur: non ut fiduciam in iis collocemus, sed ne tentemus Dominum. Actor. 27. v. 24. 30. 31. Apostolus Paulus etiam post promissionem sibi factam de certa liberatione & incolumi evasione omniû, qui cum ipso navigabant: tamen in periculo naufragii noluit dimittere nautas. Sic Gen. 32. Jacob de protectione sui recens edoctus, exemplo Labanis, & confirmatus visione angelorum: tamen muneribus placare studet Esavû: & Deum orat, ut se contra illum protegat.

TEXTUS.

| | |
|---|---|
| <p>וְתִגְמַר אֶרֶץ לְאַדְחָמָה וְתֵהָרֵךְ וְתֵלֵד בֵּן: וַיֹּאמֶר קְרָא שְׁמוֹ לֵאמֹר לְעַמִּי כִי אַתֶּם לֵאמֹר עַמִּי וְאַנְכִי לֵאמֹר אֶהְיֶה לְכֶם:</p> | <p>v. 8. Cumque à lacte depulisset Lo-ruchamam, rursus concepit, peperitque filium. v. 9. Et dixit Jehova: Voca no- mē ejus Lo-hammin: quia vos e- stis non populus meus, nec ego sum futurus vester.</p> |
|---|---|

THESES.

T H E S E S.

XXIX. *Alterius Filii tum nomen tum ratio nominis indicatur.*

Nomen est Lo-hammin, i.e. non populus meus.

Ratio nominis continet comminationem everfionis regni decem tribuum per regni Assyria Salmanasserem.

Quod & completum. Nam dispersi sunt in captivitate Assyriaca, atque permixti gentibus universo terrarum, orbe, nec dum usque ad huuc diem recollecti. *Vide epistol. Jacobi & Petri.*

XXX. Deus verbi sui contemptum; & gratiæ suæ abusû, in hypocritis tandem cœcitate & abjectione finali ulciscitur: sicut hic dicitur v. 9. Vos non estis populus meus, nec ego sum futurus vester. Quare cum Deus parcit & indulget, non blandiamur vitiis nostris, aut nobis placeamus rebus secundis: sed cum humilitate præsentem Dei gratiã agnoscamus; & ejus judicium metuamus: ne & nos tanquam ingratos abiciat. Sicut exemplo istorum nobis dicitur Rom. 11. v. 20., & v. 21. si Deus naturalibus ramis non pepercit, &c.

TEXTUS.

| | |
|--|---|
| <p>וְהָיָה מִסְפַּר בְּנֵי- יִשְׂרָאֵל כְּחוֹל הַיָּם אֲשֶׁר לֹא יִמָּדָד וְלֹא יִסְפָּד וְהָיָה בְּמִקְוֵם אֲשֶׁר יֹאמַר לְהֶם לֵאמֹר עַמִּי אַתֶּם יֹאמַר לְהֶם בְּנֵי אֶרֶץ-תִּי:</p> | <p>v. 10. Veruntamen futurus est numerus Israëlitarum par arenæ maris, quæ neq; mensurari, neq; numerari potest: & fiet, in loco ubi dictum fuerit istis; Non populus meus estis, ut dicatur illis: Filij Dei viventis estis.</p> |
|--|---|

B 3

THESES.

THESES.

XXXI. Hucusq; prima prima concionis prophetica fuit pars principalis: restat altera: Promissio nempe gemina, de qua vers 10. & 11. agitur.

XXXII. Connectitur verò hac pars posterior cum priori per solutionem sacrae objectionis: qua à pijs Judæis moveri poterat: Deus pradicat populo suo totalem desertionem. Ergo & de pijs auctum erit. Ergo cum injusto iustus peribit.

XXXIII. Prior promissio continetur v. 10. ubi vocatio Israëliitarum gratiosa promittitur: qua primùm amplificatur ab adiuncta multitudine vocandorum; qua & ipsa illustratur à simili: deinde effectu declaratur, videlicet publicè notitià vocatorum.

XXXIV. Meliorem hujus loci interpretem non invenimus, quàm ipsium hujus prophetiæ autorem, Spiritum Sanctum, per os S. Apostoli Pauli ad Rom. 9. v. 22. 23. 24. 25. loquentem.

XXXV. Cùm & vocatio gentium & rejectio Judæorū longè antè per Oseam sit prædicta, tanquam sui tempore (nempe sub initium Christi exhibiti) ex decreto Dei futura: non est, quod rejectione & incredulitate Judæorum offendamur: sed est, quod gratias agamus Deo; qui nos quoque, qui olim gentes eramus & idololatræ, breviter, tales, quales Apostolus ad Ephes. graphicè describit c. 2. in communionem populi sui, & beneficiorum per Christum nobis acquiritorum, vocare dignatus est.

XXXVI. Fidelium ex gentibus ad Christum converforum ingens est multitudo, ac nobis incenarrabilis. Hoc profiteamur, hoc credimus de electorum Dei, seu salvandorum per Christum, amplitudine: ut verè diabolica sit eorum calumnia, qui nos docere fingunt, paucissimos esse electos. Paucissimos non dicimus: sed cum turba, in exitium ruentium, collatos, dicimus esse paucos, juxta Christi

Christi institutionem Matth. 20. 16. & 7. 13. Luc. 13. 23. 24.

XXXVII. Contendamus modò ut simus in numero salvandorum: quod fit per veram resipiscentiam & studium pietatis. Cum timore ac tremore nostram ipsorum salutem conficiamus. Deus enim est, qui efficit in nobis & ut velimus, & ut efficiamus, pro suo beneplacito, omnia faciamus absq; murmurationibus ac disceptationibus: ut simus irreprehensibiles & sinceri filii Dei, inculpabiles in medio nationis prava ac perversa: inter quos splendemus ut Luminaria in mundo Pb. 2. v. 12. 13. 14. 15.

XXXVIII. Deus verax est in servandis promissis Abrahamo Patri credentium factis. Cùm omnes gentes rejicere potuisset, elegit tamen sibi ex illis multitudinem innumerabilem, bonitate certando cum malitia gentium: ut qui antea non eramus populus Dei, nunc filii Dei viventis simus: merebamur dici non populus: sed major est Dei gratia, quàm fuit peccatum. Gratia ergo Dei facit, ut simus filii Dei viventis. Confer Joã. 1. v. 11. 12. 18. Gal. 3. 26. Ephes. 1. v. 5. 6. O quanta hæc dignitas! quantū decus & ornamentum! quantus honor, quod filii DEI viventis sumus!

XXXIX. Si sumus filii Dei; æquum est, ut non secundum carnem incedamus; sed secundum spiritum: videlicet, ut spiritu, corporis, h. e. peccati in nobis habitantis, actiones mortificemus. Rom. 8. 1. Nulla nunc est condemnatio ijs, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. vid. vers. 10. 11. 13. & 1. Petri. 2. v. 9. 10. 11. 12.

XL. Si sumus filii Dei; gaudeamus in afflictionibus; quia suo tēpore re ipsa patefiet, gloria filiis Dei præparata: sicut dicitur Rom. 8. v. 19. 20. 21.

XLI. Si sumus filii Dei; par est, ut æquo animo feramus, cùm à Domino castigamur. Hoc ipsum est, quod Apostolus Heb. 12. v. 1. & seqq. usq; ad 11. ait.

TEXTUS

T E X T U S.

ונקבצובני יחוד
ובני ישראל יחדיו
ושמו להם ראש
אחד ועלו מן הארץ
כי גדול יום יזרעל:

v. 11. Et congregabunt se filii Israel, & filii Judæ unà & præponent sibi caput unum, ascendentq; è terra: nam magnus erit dies Jizrehelis.

T H E S E S.

Altera promissio continetur v. 11. ubi reductio tribus Judæ à captivitate babylonica promittitur: declarata tribus modis: 1. ex adjunctis comitibus, 2. ex adjuncto ductore: 3. ex causa sine qua non illius comitatus.

Præponent sibi caput unum: Apostolus Ephes. I. v. 22. 23. hunc Hoseæ locum de Christo intelligit, dicens: Omnia subiecit (Deus Pater) ejus pedibus, cumq; constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ; quæ est corpus ipsius, complementum ejus, qui omnia implet in omnibus. Vide Locum similem Joan. 10. v. 16. ubi Jesus promittit genti vocationem & aggregationem in ovile populi DEI: sive, clarius dicendo, electos inter Gentes ad societatem populi DEI, hoc est, ad communionem sanctorum per Evangelium vocatum iri.

XLIV. Videmus impletum hoc Vaticinium & quotidie impleri: Tēpore Christi, mulier Cananæa, Matt. 15. Mulier Samaritana, Joan. 4. Centurio, Matt. 8. ex gentibus, Juxta illud Christi: Dico vobis multos ab Oriente & Occidente venturos, & discubituros cum Abrahamo & Isaaco & Jacobo in regno calorum. Matthæus verò & alij ex Judæis congregati &, efficaciter per Evangelium vocati

ti

ti unum sibi caput Christum proposuerunt, h. e. in Christum crediderunt. Postea tempore Apostolorum, ubi confertim multa hominū millia ad veritatis cognitionē pervenerūt, prophetia hæc impleta fuit. In fine autem seculi, cum totus Israël salvus fiet, & ad Christum cum gentibus convertetur, perfectum demum habebit complementum. Interim nos miserum majorum nostrorum statum nō vocatorum, cum felici hoc nostro statu comparantes, magnitudine beneficii Dei in nos indignos collati, ad seriam gratitudinem ac pietatis studium moveamur. Vide Epist. S. Pauli ad Ephes. 2. Cap. v. 11. usq; ad finem. c.

XLV. Ponimus nobis Christum caput unum, fide & confessione: ita etiam Christo, tanquam capiti, adhæremus fide & confessione. In hoc cardo salutis nostræ vertitur, ut sub hoc capite vivamus. Rom. 8. Quos vocavit &c.

XLVI. Ecclesia igitur non habet, nisi caput unum, quod est Christus Psal. 2. v. 6. Ezechiel. 34. v. 23. Ephes. 2. v. 14. Colof. 1. v. 8. Psal. 110. Quare Papa Romanus falsò & impie se caput Ecclesiæ jactat: dictum Servatoris Matth. 16. v. 18. (Super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam, & portæ inferorum non prævalent ei) blasphemè sibi arrogando.

XLVII. Porrò, cum Christus sit caput Ecclesiæ suæ; Ecclesia ipsius corpus. Ergo eam & donis necessarijs Spiritus sancti instruet, & potentia suâ contra omnes hostes defendet. Psal. 110.

XLVIII. Harum deniq; thesium exegeticarum scopus & finis est: non ut sciamus tantum (quod theoreticum est theologiæ studium), in nuda scientia & cognitione positum; in quo multi se exercent hodie ad contentiones & rixas excitandas) sed potius, ut verâ fide & cordis fiducia nobis

bis


bis applicemus: sine qua non est salutaris ista, quantumvis excellens scientia. 1. Cor. 13. 2. Si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemq; notitiam; & si habeam totam fidem, adeo ut montes transponam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et Jacobus 1. c. Dæmones credere & contremiscere ait. Quare cum theorico studio practicum jungamus: id est, Christum caput, Redemptorem, Jehovam, & Deum nostrum statuamus: beneficia regni ejus ad nos quoq; pertinere, verâ nobis cordis fiduciâ singuli persuadeamus; nos quoq; ipsos ad exercitia fidei, spei, charitatis, invocationis, & gratiarum actionis mutuò exuscitemus; atq; hinc consolationem in vitâ & morte hauriamus. Nam huic demum studio propositæ sunt promissiones vitæ præsentis & futuræ. 1. Timoth. 4. v. 8. 16. Daniël. 12. v. 3. 2. Timoth. 4. v. 7. 8. Psal. 2.

Hanc gratiam largiatur nobis Christus Jesus, Jehova & Deus noster, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit gloria & honor in omne ævum. Amen.

Δόξα ἑστί.



TABULA SYNOPTICA IN Caput Hoschehæ Primum.



[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including a circular stamp at the bottom center.]

XXX.

Parallela
ORATORUM
POETARUMQUE
veterum & hodiernor.

IN ILLUSTRISCHÖN-
AICHIANO

Auspicii & boni ominis
ergò adumbrata,
à

J. MELIDEO

Sagano Siles. Orat. & Poës.
Profess. Publ.

III. Non. April. An. Chri.
c 17 17c XVII.

Typis JOH. DÖRFFERI
Typographi Schönaichiani.
Bethanix ad Viadr.

